

18  
ANN. XVIII - FASC. I

R. G. Per. IV 357


MENSE JANUARIO MCMXXXI

# ALMA ROMA



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

prodit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulæ pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Ianuario MCMXXXI

Fasc. I

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotacionis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

## "ALMA ROMA"

IN ANNUM MDCCCCXXXI

Novum annum ingredimur, qui vitae nostrae erit octavus supra decimum, si languidioribus fortasse ob ingravescentem aetatem corporis viribus, animo tamen forti semper et erecto; eoque magis quod viderimus certa signa, quae spem non vanam iniiciant fore ut quae tamdiu animo concepta habemus, tandem aliquando ad effectum evadant. Disceptationes dicimus in diariis commentariisque passim nuper agitatas de renovando quam latissime latinae linguae usu; quibus occasionem praebuere tituli nonnulli in quibusdam Romanis officinis inscripti; quaesitum inde est nonne opportunum fieret eos in Urbe, quo ex universo terrarum orbe omnes gentes conveniunt, in usum deduci ad omnium intelligentiam; eousque iam est peruentum, ut medici in certamen descenderint suadentes ut latina lingua in libris et medicamentis suis, ut iam fuit communis, restituatur. Dum hinc inde disputatur, ALMA ROMA commentarius hic noster, et *Vox Urbis*, quae ei praecessit, in exemplum revocatae sunt, ad demonstrandum, quod semper nos contendimus, latinum sermonem non solum adhuc vivere, sed idoneum semper, aptum, flexibile ad exprimenda vel novissimas nostrorum dierum res; quarum pleraque ex vocabulis graeco-latinis apud usitatas magis linguas exprimuntur, vel ipsis antiquis vocabulis indicari possunt, parce detortis. Placuit profecto palam probari et conatus nostros et fidentem constantiam, ac prope pervicaciam, viri illius, qui integralm vitam suam in tuenda hac provincia, obscurus atque interdum vel irrisus, consumpsit; nihil vero valet et opus

nostrum et eius auctorem, Iosephum Fornari, commemorare et laudibus prosequi, nisi agmen saginetur, nisi duces multiplicantur: agmen sociorum, duces ex scriptoribus, iis qui naturae concesserunt succendentibus, Utrumque igitur rursus hodie nos reposcimus, imo apud illos efflagitamus, qui volunt nobiscum ignem quotidie incensum, volunt lumen indicans portum sublime elatum.

Quod in nobis est, ex parte nostra totum efficiemus; quumque nobis sit persuasum, rem non in praexceptis et ratione, sed praesertim in exercitatione poni debere, hanc per annum peculiariter magis curabimus. Itaque exspectatam editionem secundam quo citius vulgabimus collectionis illius phrasium et formularum ad latina colloquia instituenda, quae sub «Communia vitae» nomine tam grata et accepta exstitit, ut brevi tempore exemplaria omnia absumpta fuerint; sed morem sociis pluribus gerentes, novam comparabimus editionem dialogorum Ludovici Vives, qui iam diu desiderantur, quosque studebimus moribus aetatis nostrae aptare notisque ad omnium intelligentiam locupletare: eos primum in commentarii nostri paginas referemus; ac deinde in volumen redigemus ad ampliorem commoditatem. Ne vero quis credit fore ut cetera inde argumenta negligentur: quae usque nunc fuerunt, ea et in hoc anno erunt, varia nempe itemque *unum illud* conspirantia.

Huc vero redit, unde orsa est oratio: oportet ut sociorum, oportet ut scriptorum, soluta oratione praesertim, numerus augeatur; haec sint praesertim cordi iis, qui nos in itinere comitati sunt animumque addidere; iis sint, qui ad eadem assequenda pariter intendunt. Quid si quisque unum virum in societatem nostram adducat? In tenui labor, at tenuis non fructus.

Pretium annuae subnotationis, ut in superiore numero nunciavimus, immutatum manebit, scilicet pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Americae septentrionalis doll. 3; pro ceteris universi orbis notionibus summa, quae Italicas libell. 30 exaequet.

Communi huic subnotationi altera iam aliquot annis addita est, quam adintricem appellavimus, duplicito cuiusque subnotationis pretio. In Patronorum autem Commentarii nostri numerum adscribentur qui summam libellas 100 exaequantem miserint, vel socios quinque novos adportaverint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad annum MCMXXXI inclusive, sibi cupiant — supersunt enim exemplaria nonnulla — mittant Italicas libell. 400 si in Italia; pretium duplicatum, nempe libell. 800, si apud exterias gentes.

Denique has leges in mente quisque habeat:

1) *Consortio sub anni exitu non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculus tres acceptos reddidit — (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

ALMA ROMA.

### IN PATREM PURPURATUM

### BASILIJUM POMPILI

S. P. VICARII MUNUS IN URBE GERENTEM

SACRO IUBILAEI SACERDOTALIS ANNO PERACTO

CARMEN.

*Pastor o Romae venerande, care,  
iam decem septem assidue per annos  
munus amplum Pontificis colendi  
tam bene praestans,*

*quinque post lustris celebra secunde  
denuo ritum Domini peraltum,  
fervidis votis populi lubenter  
omnia fausta*

*tam bono Patri ex animo precantis,  
exhibens Papae validum levamen  
ut diu possis placide iuvare  
Urbis ovile.*

*Gaudium sane Tibi vel petendum  
contigit nuper Pius almus annos  
post frequentes cum subito Joannis  
venit in aedes*

*proximas illi domui, cupitum  
qua Viri foedus statuere honestum,  
vera quo tandem fierent ubique  
omnia Dantis.*

*Qui Tuo iam nomine sis verendus,  
cordis exoptatum utinam sequare  
inclitum votum, magis ut sacerdos  
prosperet ordo!*

*Quantus exsistit numerus virorum  
seminarî qui fuerunt alumni  
mente servantes Basili figuram  
usque paternam!*

*Ecquid acceptum Tibi plus daretur,  
unus ut deinceps veniat sacerdos,  
lecta quam stips atque Tuo notata  
nomine digno?*<sup>1</sup>

*Pastor auguste, o benedic amanter  
civibus Romae, qui animis fideles  
Te intuentur quique Dei triumphos  
corde precantur.*

NAZARENUS CAPO.

<sup>1</sup> Parochi Romae, interpres Cardinalis Vicarii humillimae voluntatis, collectam pecuniam ad hunc finem destinaverunt, ut aliis post alium futurus sacerdos in Seminarium Romanum perpetuo admitteretur.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

§ II. — Quo casu quaedam substantiva eleganter efferantur.<sup>2</sup>

Quo casu efferenda sint nomina substantiva probe scire quandoque haud levis est difficultatis. Tunc:

- 1º aut usus sequendus,
- 2º aut perspicuitati favendum,
- 3º aut quid elocutio expressa expostulet videndum. Imprimis notentur quae sequuntur:

I. — Substantiva abstracta et ea fere quibus aliquid inanimatum denotatur esse nequeunt nominativi verborum quibus actio aut affectus exprimitur.<sup>3</sup> Plerumque tum activa passivis permuntantur; v. g.:

Victus est Xerxes consilio Themistoclis (= consilium Themistoclis Xerxem vicit) (Com. Nep., *Them.*, 4, 5).

Ne plura scribam dolore impedit (= dolor impedit) (Cic.).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Decembr. MCMXXX.

<sup>2</sup> Quidam quaedam forsitan de iis quae sequuntur ad elegantiam non pertineant, in eo fui ut hunc titulum usurpare: « De peculiari quorundam casuum usu ».

<sup>3</sup> Nisi tamen 1) nomina substantiva huiusmodi

a) aut rei animatae naturam quodammodo induunt; v. g.: *Tempus, pericula, egestas, magis quam oratio mea, vos hortantur* (SALL., *Catil.*, 20). — *Sol* cuncta sua luce illustrat ac complect (Cic., *De Rep.*, VI, 4). — *Vita, mors, divitiae, paupertas* omnes homines vehementer permovent (Cic., *De Off.*, II, 10).

b) aut personam vel rem animatam denotant; v. g.: *Avaritia senilis* (= avari senes) quid sibi velit non intelligo (Cic., *De Sen.*, 18, 66). — Vitem serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coercet *ars agricolarum* (= agricolae arte usi) (Cic., *De Sen.*, 15, 52). — *Argumentatio* (= is qui argumentatur) sumit quae vult (Cic., *Or. part.*, 13, 46). — Si liber Antiochi nostri, qui ab eo nuper ad hunc Balbum missus est (= Antiochus noster in eo libro qui...) vera loquitur (Cic., *De Nat. deor.*, I, 7, 16).

2) Usus est contrarius; v. g.: *Res ipsa loquitur* (Cic.); *Causa requirit* (Cic.).

Primus *liber* est (= agit) de contemnenda morte (Cic., *De div.*, II, 12).

II. — Propter elocutionem expressam, quaedam nomina substantiva non raro de propositione subiecta in primariam depositionem migrant, ideoque casum mutant. Sic imprimis:

1º nominativus interrogationis indirectae fit saepe, praesertim in sermone familiaris, accusativus propositionis primariae;<sup>4</sup> v. g.:

Nosti *Marcellum* quam tardus sit (Cic., *Ad Fam.*, VIII, 10, 3).

*Sanguinem, bilem, ossa, nervos* videor posse dicere unde concreta et quomodo facta sint (Cic., *Tusc.*, I, 24, 56).

2º accusativus sive grammaticus sive saltem logicus infiniti, quum propositio infinita a verbo declarandi aut sentiendi pendet, migrat in ablativum cum praepositione « de » et propositioni primariae praefigitur, quo pressius denotetur persona aut res de qua agitur.<sup>5</sup> Exprimitur autem pronome in propositione infinita; v. g.:

De *Antonio* iam tibi ante scripsi, non esse *eum* a me conventum (Cic.).

De *Dionysio* scriptum accepimus summam fuisse *civis* in victu temperantiam (Cic.).

III. — Ex duobus substantivis quae coniunctionibus « et, que, atque » inter se copulantur, saepe alterum alterius logice genitivus est,<sup>6</sup> v. g.:

Ius imaginis ad memoriam posteritatem

1 Nominativus propositionis subiectae quae non est interrogativa indirecta fieri nequit casus propositionis primariae. Sic, v. g., nefas est dicere: *Cave ab assessoribus* ne te perdant. Dicendum: *Cave ne te perdant assessorates*.

2 Simillimam syntaxin quandoque usurpat Tullius in interrogative indirecta; v. g.: *De universa philosophia* quanto opera et expetenda esset et colenda satis dictum est in Hortensio.

3 Vox significationis genericae fere praecedit vocem sensus magis specialis; v. g.: *Medicinam affert longinquitas et dies* (= longinqua dierum, temporis) (Cic.).

temque (= ad memoriam posteritatis) prodere (Cic.).

Quem plurimi cives devinet necessestidine ac vetustate (= vetustate necessitudinis) defendunt (Cic.).

Homines aegri morbo gravi, quum aestu febribe (= aestu febris) iactantur (Cic.).

*Iuuentute et viribus* (= iuuentutis viribus) (Cic., *De Sen.*, 6, 15).

IV. — Nonnunquam substantivo continuato genitivum substituunt, praincipue post substantiva « nomen, vox, verbum » et huiusmodi;<sup>7</sup> v. g.:

Verbum *amoris* (= amor), ex quo *amicitiae* (= amicitia) nomen est ductum (Cic., *De Nat. deor.*, I, 44, 122).

Epicurus non intelligit quid sonet haec vox *voluptatis* (= voluptas) (Cic.).

Cato quasi cognomen iam habebat in senectute *sapientis* (= sapientem) (Cic., *De Am.*, 2, 6).

Opus *Academicorum* (= Academica) (Cic.).

V. — Non semper ad libitum usurpari possunt genitivus qualitatis et ablativus. Generatim genitivo naturales solum dotes effunduntur; ablativo tam naturales quam acquisitae. Praeterea non ita frequenter reperitur genitivus numero plurali;<sup>8</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Hunc genitivum vocant « epexegeticum, definitivum, explicativum vel appositivum ». Jungitur substantivo generico, ut illud definit et circumscribat; v. g.: Numerus *trecentorum* (= trecenti).

Usurpandus est quotiescumque nefas est ut substantivo continuato. Hoc autem nefas est, nisi alterum substantivum sit nomen appellativum personae aut loci; alterum nomen proprium; v. g.: Rex *Tullius* — Urbs *Roma* — Terra *Italia* — Familia *Scipionum*.

Apud Caesarem frequenter legitur, v. g.: *Praedium missionis* (*De bel. civ.*, I, 86, 1). — In iuriis retentorum equitum (*De Bel. gal.*, III, 10, 2), etc.

Sic usurpatur genitivus gerundii loco infiniti; v. g.: *Triste est nomen carendi* (= carere) (Cic.). — *Labor fodiendi* (= fodere).

<sup>2</sup> Alii alia de genitivo et ablativo qualitatis scribunt. RIEGMANN: « Qualitas externa, inquit, et ea-

*Bos amplissimi corporis, cervice valida, robustis ac latis costis* (Colum., 6, 37).

*Nimium me timidum, nullius animi, nullius consilii* fuisse confiteor (Cic., *Sext.*, 16).

*Summo* iste quidem dicitur *ingenio* fuisse (Cic., *Brut.*, 58).

Eius pater erat *exacta aetate* (Caes.).

IV. — Alterius casus saepe locum tenet genitivus:<sup>1</sup>

1º sive obiectivus; quo scilicet exprimitur id in quod praecedens substantivum tendit vel agit;<sup>2</sup> v. g.:

duca semper ablative exprimitur; qualitas propria ac naturae inhaerens genitivo: v. g.: *Hominem maximus corporis terribilitate facie* (Cic.). — PICARZ, vero haec habet: « Ablativus, non genitivus, in usu est, si aut de corporis partibus aut de mutabilibus animi affectibus mentio fit; v. g.: *Britanni sunt capillo prouiso* — *Homo magno capite* — *Bono, non tristi animo esto* ».

Nulla certa regula statui potest quando alterius casus sit usurpandus. Usus hic ante omnia consulendus est; sed accidente verbo « sum », nomen a quo regitur genitivus vel ablativus qualitatis saepe retinetur; v. g.: *Titus facilitatis tantae fuit et liberalitatis (vir)*, ut... (EUTR., 7, 21).

Genitivo vel ablative qualitatis semper addit vir adiectivum. Ablativus autem frequenter ab huiusmodi adiectivo regitur; v. g.: *Vir probitate eximius* (= eximia), aetate *proiectus* (= proiecta). — *Quietus* = quieto animo est (Cic., *Tusc.*, 4, 17). — Crine *ruber* (= rubro), *niger* (= nigro) ore, *brevis* (= brevi) pede (MARTIAL, 12, 54).

*NB.* — Pro adiectivo, substantivum qualitatis genitivus comitari potest. Tunc semper ablative effertur; v. g.: *Clavus digiti crassitudine* (= crassitudinis).

Quidam denique substantivo qualitatis substantivum partis aequiparant quo numerus partium exprimitur. Genitivo tantum effertur, v. g.: *Ager trium iugorum*. — *Lapis centum librarum*. — *Classis Perseverarum mille et ducentorum navium longarum fuit*.

<sup>1</sup> Praesertim quum substantivum substantivo per praepositionem subiectum esset; quod plerumque latine vitatur ac reificatur.

<sup>2</sup> Quaedam substantiva verbalia nonnumquam causas regunt verborum e quibus oriuntur; v. g.: *Iustitia est obtemperatio scriptis legibus* (Cic., *De Leg.*, I, 15). — *Miserias suis remedium mortem exspectare* (SALL., *Cat.*, 40). — *Domum redditionis spe sublata* (Caes., *De Bel. gal.*, I, 5).

*Similitudo alicuius rei* (= alicui rei) (Cic., *Orat.*, 59, 201).

*Rei publicae* (= in rem publicam) iniuriam (Caes., *De Bel. gal.*, I, 20, 5).

*Littorum* (= ad littora) appulsi (Tit. Liv., XXXVII, 30, 7).

*Opinio deorum* (= de diis) (Cic., *De Nat. deor.*, I, 12).

*Excessus vitae* (= e vita).

*Fiducia virium suarum* (= in viribus suis).

*Consuetudo hominum* (= cum hominibus).

2º sive subiectivus, quo scilicet persona vel res designatur ad quam praecedens substantivum pertinet; v. g.:

*Omnium ordinum* (= inter omnes ordines) consensus (Cic.).

*Conspiratio consensusque virtutum* (Cic.).

*Omnium quasi consensus doctrinarum* concensus (Cic.).

VII. - Dativus commodi vel incommodi non raro usurpat loco genitivi possessionem significantis;<sup>1</sup> v. g.:

*Is finis populationibus* (= populacione) fuit (Tit. Liv.).

*Rabirio* mors ob oculos (= Rabirii) versatur.

*Dentes ei* (= eius) confusi sunt.

VIII. - Pro ablativo personae agentis, multis participiis praeteriti temporis ac vocis passivae solet addi datus, quem aliquatenus in adiectiva transeunt. Praecipua sunt: *acceptus* (i. e. gratus), *auditus*, *cognitus*, *compertus*, *contemptus*, *despectus*, *dilectus*, *exploratus*, *neglectus*, no-

<sup>1</sup> Idecirco datus pronominis personalis ponitur pro adiectivo possessivo; v. g.: *Mihi* (= meos) ad pedes misera iacuit (Cic., *De Suppl.*, 45, 129). — Literae tuae auxerunt mihi (= meum) dolorem (Cic., *Attic.*, 11, 22). Sic interpretandae sunt sequentes dicendi rationes: *Recepui signum* (Cic., *Ihil.*, 13, 15). — *Opercula doliis* (Cat., *Agr.*, 10, 4). — *Satui semen* (Cat., *agr.*, 5, 3). — *Oleum unctui* (Apul., *Met.*, 1, 23), etc....

*tus*, *optatus*, *perspectus*, *probatus*, *spectatus*, *visus*, et ab his composita *ignotus*, *inauditus*, *incognitus*, *invisus*...<sup>1</sup> etc. ...; v. g.:

Sperare videor Scipionis et Laelii amicitiam notam *posteriori* fore (Cic., *De Am.*, 4).

*Maribus* non invisa solum, sed etiam inaudita sacra pervertit (Cic., *De Harusp.*, 27).

IX. - Instrumentum vivum non ponitur in ablativo, sed in accusativo cum «per»;<sup>2</sup> sive verbum est transitivum, sive neutrum, sive passivum; v. g.:

*Auxilium sibi per me a vobis petunt* (Cic.).

<sup>1</sup> Alia est ratio verborum «probor», «improbor» et «videor». — Quia dicitur active: *Hanc rem mihi probo*, i. e. mihi acceptam facio; passive dicimus: *Hac res mihi probatur*; ubi dativus nullatenus est casus personae agentis, qui ablativus est; v. g.: Oratorem meum tantopere a te probari vehementer gaudeo (Cic., *Fam.*, VI, 18, 4). — «*Videor*», quum de sensu oculorum dicitur, generali pracepto subest: *Amor a Deo*. Alio autem sensu cum dativo positum potius pertinet ad deponentia, seu potius est verbum conjugationis mediae.

<sup>2</sup> Cum pronomibus saepe usurpat ablativus *opera*; v. g.: *Mea opera* (= per me), *illius opera* (= per illum) haec facta sunt.

Accusativus cum praepositione «per» quandoque usurpat solummodo ad vitandam amphibolian; v. g.; *Ex res per fugitivos hostibus nuntiatur* (Caes., *De Bell. gal.*, I, 23); *a fugitibus* esset ambiguum.

Quum personae aut res animatae rebus inanimatis equiparantur et instrumenta mere passiva habentur, usurpari potest ablativus instrumenti; v. g.: *Iacent suis testibus* (= testium dictis) (Cic., *Pro Mil.*, 18, 47). — *Obsidibus* cavere (Caes., *De Bell. gall.*, VII, 2, 2). — *Armatis hominibus* sunt expulsi (Cic., *Ad Attic.*, IV, 3, 2).

Instrumentum inanimum interdum etiam accusativo cum praepositione «per» effertur. Tunc designat circumstantiam modi concurrentem ad actionem, potius quam, ut aiunt philosophi, medium directum ad finem; v. g.: *Oppidum cepit per vim* (= adhibens vim). — Vis solum indicatur ut modus quo res gesta est. Vis non est adhibita eo fine ut caperetur oppidum. Quod significarem, si dicerem: *Oppidum vi cepit*.

*Suos per Antonium cohortatus* (Caes., *De Bell. civ.*, III, 46, 4).

Ne quid ei per filios noceretur (Cic.). Nemo est qui nesciat, quominus discessio fieret per adversarios tuos esse factum (Cic., *Fam.*, I, 4).

X. - Interdum ablativo loci demitur praepositio «in», quum usurpanda videatur; interdum adiungitur ablativo temporis.

1º Demitur ablativo loci, quum ablativus ille

a) aut unum est ex nominibus substantiis, quae aut semper aut saltem quandoque praepositionem «in» reiiciunt; v. g.: *Terra marique* conquirere (Cic., *Fam.*, V, 9, 2).

*Excelso et illustri loco* sita est laus tua (Cic., *Fam.*, II, 5).

Non eodem semper loco sol oritur aut occidit (Sen.).

Hoc tota Graecia celebratum est (Corn. Nep., *Chabr.*, I, 3).

b) aut pendet a verbis abscondendi, excipiendi et similibus, quae plerumque ablativo instrumenti, non loci instructa sunt; v. g.:

*Latebris se occultare*.

Tenere se *castris*.

2º adiungitur ablativo temporis, quum, ad respondendum quaestioni «quando», adhibemus substantiva quae, non tempus aut eventa, sed munera, actiones, res gestas..., etc. ..., exprimunt, item gerundia; v. g.

Carthaginienses *in pace* et per inducias multa nefanda facinora fecerant (Sall., *Cat.*, 51).

*In consulatu. — In legendis libris.*

XI. - Post verba composita ex praepositionibus «ad, ante, circum, cum, in, de, ex, inter, ob, post, p[re]a, sub, super», dativus plerumque locum tenere potest praepositionis convenientis cum suo casu. Univer- sim tamen dativus denotat huiusmodi verba sensu translato sumi. Quum enim vim nativam habent et motum aut rela-

tione ad locum significant fere praepositionem sibi assumunt;<sup>1</sup> v. g.:

Adesse *ad iudicium, in consilio*. —

Adesse *amicis*.

*Signa contulerunt circa casam.* — Parva magnis saepe rectissime conferuntur (Cic., *Or.*, 4).

*Convenire in locum.* — Ex parente meo ita accepi; *viris* labore convenire (Sall., *Jug.*, 83).

Insistebat *in manu* Cereris *dextra* simulacrum Victoriae (Cic., *Verr.*, IV, 49). — Insistere *studiis* (Quint., I, 12).

S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

## QUINAM ET UNDE MAGI?

Magorum verbum quid sibi velit, non ex eius notatione inquirimus, sed ex communi sententia, qua notum est maleficam quondam artem significare, sive diabolicalm superstitionem aut divinationis cultum, aut occultarum rerum scientiam, vel perabditam prodigiorum peritiam, eamque obscoenis ritibus permixtam et impiis. Itaque alias utuntur eo verbo Scripturae, praincipue in Veteris Testamenti libris. Quae quum ita habeantur, legitimum est investigare quinam illi fuerint Magi, de quibus S. Matthaeus in Epiphaniae festo enarrat.

<sup>1</sup> Vide «RIEMANN, *Gælzer*», n. 167.

<sup>2</sup> Attamen, cum verbo «abdere» dicitur v. g. *Abdere se litteris vel in litteras*. — *Abdo me in bibliothecam* (Cic.). — *Abditi in tabernaculis* (Caes.). — *Qui in silvis abditi latebant* (Caes.).

<sup>1</sup> Ante omnia tibi usus est sequendus; quem dices optimis legendis scriptoribus.

Hos quidem et mendaces idolorum cultores et infernalis disciplinae artifices nonnulli etiam interpretantur, sed huiusmodi accusationis nullam afferunt probationem. Quinimo quum Evangelium Matthaei primum aramaico sermone ab eo fuerit exaratum, quod nunc desideramus, verbum ipsum quo usus est Matthaeus nemo est qui sciat, atque ita num recte fuerit in aliam linguam translatum. Quamobrem illos credere possumus et doctos fuisse et sapientes viros, caelesti praesertim disciplina peritos, magnoque imperio praeditos, ut semper hactenus Ecclesia tenuit.

De vulgi autem opinione, qui eos reges fecit, non omnes Sacrarum Scripturarum interpretes idem sentiunt; huiusmodi enim traditio non ultra sextum Ecclesiae saeculum duxit originem; nam vetustissima documenta de ipsorum regno silent omnino. Quin etiam Matthaeus, qui Herodem vocat regem, Magos tamen eo titulo nunquam appellat; quod, praesertim ad Iesu pueri gloriam, alias non neglexisset. Et profecto quomodo regulus ille Herodes eos clam ad se vocavisset et sua mandata imposuisset? Quomodo Magi reges tulissent iniuriam? Aut quo animo, nisi Angelus alias monuisset, ad Iudeorum regulum rediissent enarraturi locum ubi esset puer? Quibus dubiis concordant veteres coemeteriorum picturae, ubi nunquam Magos regis habitu conspicuos vidi mus.

De patria eorum nulla pariter notitia; nam «Orientem» tantum Evangelium adnotat; quod de omni regione trans Palaestinam aequi intelligi potest. Sed vetustissima traditio certo asserit Hebraeos illos non fuisse; alias enim non quaevisserent ubinam puer esset natus «rex Iudeorum», nec Herodem regem honoravissent. Afros eos nonnulli dixerunt, alii Aegyptios, alii Damascenos; sed quo pacto regiones illae ad orientalia Iudeo-

rum limina referantur? Melius alii Persas vocant; quorum sententiam ipsum Magorum nomen probat, quo Persarum quoque satrapes significantur, et pilei forma, qua vetustissimis in tabulis Magi apparent.

Sed Magorum patriam Chaldaeam vel Babyloniam fuisse credunt quoque multi; alii autem Arabiam et Mesopotamiam; quas sententias ut probent, multa afferunt verba Scripturarum de Chaldaeorum sapientibus, de auri incensive mirraeque fructibus eas per regiones copiosis; quae tamen singula in tanta dissensione sunt, ut passim in adversam partem hinc pariter et inde a scriptoribus trahantur. Nos autem dum Persarum sententiae magis accedimus, reliquas in perardua quaestione non relicimus omnino, quia tum Orientis partes pro Syria, Armenia, Arabia, Mesopotamia passim in Scriptura usurpantur, tum quia ignoramus quibus reapse verbis suo in manuscripto eas regiones Matthaeus designaverit quae a partibus Orientalibus latine ex graeco volumine sonant. Si quis vero dicat Magos proxima ex aliqua terra venisse oportere, quippe qui iter decem vix dierum compleverint, probe fallitur, quum historicae recentes investigationes probaverint, eos nonnisi post annum a Christo nato Betlehem adventasse. Rem quidem inter Italos exposuit doctor Josephus Nogara, qui Magos Betlehem non prius pervenisse demonstrare contendit, quam Maria templo Iesum obtulerit, seque purificaverit.

Trinum Magorum numerum communis sententia affirmit, sed ex Matthaeo non arguitur, neque id apud veteres Patres legimus adnotatum. Primus Origenes eos tres fuisse scribit, quem diu postea sequuntur S. Maximus Taurinensis et S. Leo. Ceterum antiqua quoque monumenta tres eos plerumque exhibent, quamquam picturae non desunt, ubi et duo, et quatuor, et octo usque conspicimus; qui-

nimo Matthaei glossator, «operae imperfectae» auctor, eos ad duodecim auget, ut Syrienses populi iuxta Armenum menologium tenuere. Strabo autem in sua «Glossa ordinaria» eos «multos» dicit. Trinum vero numerum, utpote symbolo magis aptum, plerique auctores facile induxerunt.

Magorum nomina haud secus incerta. Patres silent; sed vetus Parisiensis bibliothecae codex, vii forte saeculo scriptus, primus Balthasarem, Melchiorem Gasparumque eos vocat. Sed alii alia habent, ut Armenus quidem scriptor, qui tradit eos Syriace dictos Kaghpā, Badadilmā, Badadakharida; alius graece vocat Appellīca, Amerīn, Damascon; alius hebraice Māgalath, Galgalath, Sarakin; neque deest quī eos appellat Ator, Sater, Paratoras; ut de Armenis populis non dicam, qui duodecim Magos dinumerantes, duodecim habent eorum nomina, quibus et patronimica non desunt.

De astro, seu stella quae Magos duxit, variae pariter sententiae. Idelerius consuetam et nullimode prodigiosam eam putat; alii autem bolidem ad locum praesepii cecidisse..

De Magorum vicibus denique, post eorum redditum in patriam, piam Christianorum traditionem recolere iuvat, iuxta quam ipsi Christi fidem a Thoma Apostolo edocti episcopique creati, vitae cursum tamquam divini Verbi martyres absolverunt. Eorum exuviae ex Arabia, Constantino cognomine Magno Romanam rem moderante, Byzantium primum translatae, deinde Mediolanum, denique a Frederico imperatore anno MCLXIV Coloniensi episcopo donatae feruntur, super iisque in illa urbe aedes insigne an MCCXLVIII excitatae fuere, quae maximum atque perfectissimum Gothicae artis monumentum omnium admirationi praeseferunt.

## DE HEBRAEORUM ARTE

Ut de Hebraeorum arte ex ordine dicimus, a libro *Exodi* initium est deducendum, in quo haec legimus: «Ecce — (ego Dominus) — vocavi ex nomine Beseeel filium Uri filii Hur de tribu Iuda et implevi eum Spiritu Dei — (scilicet omnem scientiam faciendorum illi dedi), — sapientia et intelligentia et scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, aere, marmore, et gemmis, et diversitate lignorum». Habemus igitur hunc non factorem rudem rerum, sed opificem suapte creantem ornamenta et exemplaria pretiosissima et speciosissima.

Prosequitur Deus: «Dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditus — (scilicet in minoribus artificibus, qui iuvent Beseeel et Ooliab), — ut faciant cuncta quae praecepi tibi: tabernaculum foederis, et arcum testimonii, et propitiatorium, quod super eam est, et cuncta vasa tabernaculi, mensaque et vasa eius, candelabrum purissimum cum vasis suis, et altaria thymiamatis, et holocausti et omnia vasa eorum, labrum cum basi, vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti et filiis eius, ut fungantur officio suo in sacris». Quae prodigialiter incredibili celeritate et increbili pretiosorum vi metallorum gemmisque fecerit, illa enumerantur in *Exodo* a cap. XXV ad cap. XXXI.

A Iosephō de his scimus pariter;<sup>1</sup> unde solemne mihi est duo animadvertere: alterum quod dispositis tribubus quadrifariam circa tabernaculum ut tres ordinarentur per latus platea vero a tentoriis ad tabernaculum interesseret, artificibus Hebreis sepa-

<sup>1</sup> *Antiquit. Iudaic.*, lib. III, a cap. VI ad XV inclusive.

ratus et conveniens locus ad officinas constituebatur; alterum quod Moysi seu Beseleel inventio tubae ductilis late resonantis adscribatur, qua modo congregantur certo clangore populus, vel seniores, vel sacerdotes, modo castra moverentur. Quid inde dicendum de Etruscis, quibus illarum tribuitur inventio tubarum?...<sup>1</sup> Huius autem tubae ductilis, contractilis nempe et protractilis, nomen apud Hebreos, Iosepho teste,<sup>2</sup> *asophra* fuit, argentoque ducta est, et hac de causa credo mos invaluisse apud Christianos in sollemnibus Summi Romani Pontificis argenteae huius tubae cubitalis clangore uti.

Addam vero ab Aaron, tumultu, seditione flagitantibus Hebreis, immo iubentibus, vitulum aureum fuisse conflatum, ut adorarent imaginem idoli Aegypti *Apī*.

Sed ad aliam Hebraicarum artium aetatem properare iuvat, eamque, quae non minor quam Graecis aetas Periclis, Romanis Augusti saeculum, Italicis recentioribus tempus Decimi Leonis effusit et latissime coruscavit. Ut enim Iosue sepulcrum in Palaestinis reperto praeteream, ad Salomonis templum venio, quo sumum, ineffabile quoddam, singulae apud Hebreos artes non solum, sed disciplinae consequatae sunt, ac tenuerunt. Si sacros legeris libros, nempe *Regum* tertium a capite quinto usque ad decimum integrum, anceps eris utrum admireris an credas. Quae enim ibi narrantur ferme captum humanum superant, si opum infinitam vim consideraveris; quid vero si artes per omnia homini possibilia ludente? Quot ornamentorum genera a ligno ad aurum, ad marmora, ad gemmas, ad lapides pretiosos, ad vestes, ad thoreumata!

<sup>1</sup> Cfr. Verg., *Aeneid.*, lib. VIII: *Tyrrhenaeque tubae mugire per aethera clangor.*

<sup>2</sup> *Antiquit. Iudaic.*, lib. VII, cap. XIV, ad lib. VIII, c. VII inclusively.

Et quam affabre omnia! Et quanta sapientia, quae aedificabantur, centum et octoginta hominum millibus ordine miro et per agmina adlaborantibus!

Exstant adhuc substructiones Salomonicæ, circa quas vel hodie, statutis diebus Iudeis conceditur via a Turcis, mercede pacta, ut plangent ruinas eversae Ierusalem. Haec autem ita sollemnia, immania sunt, ut ille tantum credat, qui viderit. Praeterea legenda sunt quae Iosephus ad haec recensuit;<sup>1</sup> quae tamen omnia ita descripta ad unguem sunt, ut potius cernere quam legere arbitraris. Equis enim candelabra illa aurea, aeneum mare duodecim bobus impositum, tot millia aurearum phialarum, tot lances, tot vasa aurea, argentea, quorum numerus ferme incredibilis? Nec quisquam credat externis opificibus, architectis, fabris ista dolata. Salomon ipse caput rei erat, cui manus instar dexteræ fuit Chiras, matre natus de tribu Neptali, patre Israelita.<sup>2</sup> Haec vero, sicut idem Iosephus praedicat, in summa saltem et exemplari, David singula descripta filio Salomoni reliquerat.

Numquid addemus Salomonis palatia, rura ad rusticandum, suburbanas delicias, et quae in illis congesserat? An memorabimus urbes exstructas, quas inter Palmiram admirabilem adhuc ruinis, quae olim Thamar, hoc est «Palma» appellata est?... At subversa Ierusalem a Nabuchodonosor, prostrata Iudea, Iudeis Babylonia translatis, inclinata ad alienos artis Hebreæ est īdole; quae sensim sine sensu in Persarum morem primo, mox in Romano-Hellenicum deflectitur plura admiscens. Nunc unice ex illa supersunt columnæ atriorum templi, quod Herodes refecit, in Vaticana basilica adhuc videndae.

G. P.

<sup>1</sup> *Antiquit. Iudaic.*, lib. VIII, c. III.

<sup>2</sup> *Reg.*, lib. III, c. XVIII.

## AD SANITATEM TUENDAM

**Aphorismi sive pracepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.**<sup>1</sup>

§ 342. – Hydrocephali oriuntur, in infantibus recens natis, a nimia fibrarum cerebri laxitate, ob longam moram infantis in utero capite prono.

§ 343. – A nimia pulmonum laxitate saepe oriuntur phthises.

§ 344. – Fibrarum vesicae laxitas, in pueris, vesicae calculum producit, quia nequit ingentem visciditatum copiam, qua pueri scatent, oscillando propulsare.

§ 345. – Quidam, ob naturalem pulmonum mollitiem et laxitatem, sanguinem spuunt. De hoc, corporis habitus te certum fortasse reddit.

§ 346. – Sicuti vocis exercitatio conductit nonnullis pulmonis et capitum morbis, ita globulorum lusus calcule et renibus, sagittatio pulmonibus et thoraci, lenis deambulatio ventriculo, equitatio capiti et mesenterio. Quibusdam navigatio, venatio, rusticatio, ambulatio, iter longum per montana, vel per campestria, aliis musica, vel saltatio, paucis vero, dum longo morbo tenentur, imprudentissimus remediorum abusus conferre poterit.

§ 347. – In colica pertinaci conductit iter aliquod, ut corpus plurium dierum equitatione excitetur, fibraeque mesenterii longo morbo relaxatae, pristinas reassumant oscillationes. Id quod a remediorum acervo vix potuerit exspectari.

§ 348. – Cantus et vociferatio, iuxta doctissimum MERCURIALEM, convenient iis, qui humiditate occupatas interiores partes, quique corporis habitum frigefactum habent. Convenient et stomachicis, vomentibus,

acidum ructantibus, aegre digerentibus, cibos fastidientibus, atrophia laborantibus, languidis cachecticis, hydropticis, asthmatis, phthisicis, apostemata rupta habentibus in thorace, difficile parturientibus, quartanariis, pituitosis, convalescentibus, fere omnibus. GALENUS stomacho laborantibus unctiones, exercitia et vociationem praescribit (Vide plura in MERCURIALI, *de gymnastica*, ubi pulchra leguntur de effectibus lecti pensilis, cunaru, natatione, etc.: item de balneis).

§ 349. – Laudat BAGLIVIUS usum balneorum publicorum, ad quae plures aegros misit, alios ut lavarentur, alios ut strigili pelliceo fortiter fricerentur, alios ut primum paulum sudarent in stupha balnei, dein balneum tepidae aquae statim ingredierentur, etc.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

## ROMA SACRA

**SS. D. N. Pp. XI litterae encycliche de Matrimonio christiano.**

Die VIII huius mensis Ianuarii MCMXXXI Pontificiae litterae encycliche editae sunt, die XXXI superioris mensis Decembris datae ad Venerabiles Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos aliasque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes, de matrimonio christiano, specie praesentibus familiae et societatis conditionibus, erroribus, vitiis; quae amplissimum tum sapientiae, tum paternae curae et pastoralis sollicitudinis Christi nunc vices in terris gerentis novum documentum constiuent.

Vox, per universum omnem iure repercutta, ea profecto est, ut mereretur integrum in nostras paginas referri; spatii vero angustiae impediunt quominus id fiat. In summan-

<sup>1</sup> Cfr. sup. fasc. VIII-IX.

itaque tres partes, in quibus sermo dividitur, cogemus, studium adhibentes ut ipsissimis Pontificis verbis, quo latius licuerit, litterarum rationem et doctrinam exprimamus.

Repetita igitur initio casti connubii dignitate, — quippe quod Christus non solum ad societatis domesticae atque adeo humanae consortium principium et fundamentum completi voluerit, sed etiam, ad pristinam divinae institutionis integritatem revocatum, ad verum et « magnum » Novae Legis Sacramentum evexerit, eiusque propterea disciplinam curamque totam Ecclesiae Sponsae Suae commiserit, — monet Pius XI ex hac matrimonii renovatione, ut apud omnes totius orbis et cuiusque temporis gentes exoptati colligantur fructus, hominum mentes in primis debere germana Christi de matrimonio doctrina illuminari; deinde oportere ut christiani coniuges, interiore Dei gratia infirmas voluntates roborante, omnem suam cogitandi agendique rationem ad purissimam illam Christi legem componant, unde veram sibi ac familiae suaee beatitudinem et pacem nanciscantur. At contra, ex harum rerum ignorantia quot perniciosissimi errores pravique mores, inter fideles ipsos, inducti! Supremi igitur Vicarii, Pastoris et Magistri munus est Apostolicam attollere vocem, ut oves Ei commissae a venenatis pascuis deterreantur immunesque serventur.

Atqui in hisce litteris quae totae fere erunt in vindicanda divina matrimonii institutione eiusque sacramentali dignitate et perpetua firmitate, primum quidem id maneat immotum et inviolabile fundementum: Matrimonium non humanitus institutum neque instauratum esse, sed divinitus; non ab hominibus, sed ab ipso auctore naturae Deo atque eiusdem naturae restituente Christo Domino legibus esse communatum, confirmatum, elevatum; quae proinde leges nullis hominum placitis, nulli ne ipsorum quidem coniugum contrario convento obnoxiae esse possint. Haec Sacrum Litterarum est doctrina, haec constans atque universa Ecclesiae traditio, haec sollem-

nis Sacrae Tridentinae Synodi definitio, quae perpetuum indissolubilemque matrimonii nexum eiusdemque unitatem ac firmitatem a Deo auctore manare ipsis Sacrae Scripturae verbis praedicit atque confirmat.

At, quamquam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen humana quoque voluntas suas in eo partes habet easque nobilissimas; nam singulare quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu: qui quidem liber voluntatis actus, quo ultraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium, ad verum matrimonium constituendum tam necessarius est, ut nulla humana potestate suppleri valeat. Haec tamen libertas eo tantum spectat ut constet, utrum contrahentes vera matrimonium inire et cum hac persona inire velint an non; libertati vero hominis matrimonii natura penitus subducitur, ita, ut, si quis semel matrimonium contraxerit, divinis eius legibus et essentialibus proprietatibus subiciatur. Coniugio igitur animi iunguntur et coalescent, hique prius et arctius quam corpora, nec fluxo sensuum vel animorum affectu, sed deliberato et firmo voluntatum decreto: et ex hac animorum coagulatione, Deo sic statuente, sacrum et inviolabile vinculum exoritur.

Itaque germani connubii sacrum consortium divina simul et humana voluntate constituitur: ex Deo sunt ipsa matrimonii institutio, fines, leges, bona; Deo autem dante atque adiuvante, ex hominibus est, per generosam quidem propriae personae pro toto vitae tempore factam alteri traditionem, particulare quodlibet matrimonium cum officiis ac bonis a Deo statutis coniunctum.

Quae vero quantaque sunt haec veri matrimonii bona divinitus data? « Haec omnia, — inquit S. Augustinus, — bona sunt, propter quae nuptiae bona sunt: proles, fides, sacramentum... In fide attenditur ne praeter vinculum coniugale cum altero vel altera concubatur; in prole, ut amanter suscipia-

tur, benigne nutriatur, religiose educetur; in sacramento autem, ut coniugium non separatur, et dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungatur. Haec est tamquam regula nuptiarum, qua vel naturae decoratur fecunditas vel incontinentiae regitur pravitas ».

Itaque primum inter matrimonii bona locum tenet proles.

Quantum hoc Dei beneficium sit et matrimonii bonum ex hominis dignitate et altissimo fine apparet. Homo enim vel solius rationalis naturae praestantia omnes alias creaturas visibles superat. Accedit, quod Deus homines generari vult, non ut solum sint et impleant terram, sed multo magis, ut Dei cultores sint, ipsum cognoscat et ament eoque tandem perenniter fruantur in caelis; qui finis ex mirabili hominis per Deum in supernaturalem ordinem elevatione, omne superat quod oculis vidit, et auris audivit et in cor hominis ascendi.

Christiani itaque parentes intelligent, se non iam solum ad genus humanum in terra propagandum et conservandum, immo vero, non ad quoslibet veri Dei cultores educandos destinari, sed ad pariendam Ecclesiae Christi subolem, ad cives sanctorum et domesticos Dei procreandos, ut populus Dei et Salvatoris nostri cultui addictus in dies augeatur. Sic christiani coniuges liberos, prompto gratoque animo e manu Dei susceptos, ut talentum sibi a Deo commissum intuebuntur, quod non in suum neque in terrena tantum reipublicae commodum impendant, sed in die rationis Domino cum fructu restituant.

Procreationis autem beneficio bonum proliis haud sane absolvitur, sed alterum accedat oportet, quod debita prolis educatione continetur. Parum profecto generateae proli atque adeo toti generi humano providisset sapientissimus Deus, nisi, quibus potestatem et ius dederat generandi, iisque ius quoque et officium tribuisse educandi. Neminem enim latere potest prolem, ne in iis quidem quae ad naturalem vitam, multoque minus in iis quae ad vitam supernaturalem pertinent, sibi ipsam

sufficere et providere posse, sed aliorum auxilio, institutione, educatione per multis annos indigere. Compertum autem est, natura Deoque iubentibus, hoc educandae prolis ius et officium illorum in primis esse, qui opus naturae generando cooperunt, inchoatumque imperfectum relinquentes, certae ruinae expondere omnino vetantur. Iamvero huic tam necessariae liberorum educationi optima quae fieri potui ratione provisum est in matrimonio, in quo, cum parentes insolubili inter se vinculo connectantur, utriusque opera mutuumque auxilium semper praesto est.

Alterum matrimonii bonum, ab Augustino commemoratum, est bonum Fidei, quae est mutua coniugum in contractu coniugali implendo fidelitas, ut quod ex hoc contractu divina lege sancito alteri coniugi unice debetur, id neque ei denegetur neque cuivis permittatur; neque ipsi coniugi concedatur quod, utpote divinis iuribus ac legibus contrarium et a fide coniugali maxime alienum, concedi nunquam potest.

Quapropter haec fides in primis postulat absolutam coniugii unitatem, quam in protoparentum matrimonio Creator ipse praesituit, cum illud noluerit esse nisi inter unum virum et mulierem unam. Et quamquam deinde hanc primaevam legem supremus Legislator Deus ad tempus aliquantum relaxavit, nullum tamen dubium est quin illam pristinam perfectamque unitatem ex integro restituerit omnemque dispensationem abrogaverit Evangelica Lex, ut Christi verba et constans Ecclesiae sive docendi sive agendi modus palam ostendunt. Iure igitur Sacra Tridentina Synodus sollemniter professa est: « Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et coniungi Christus Dominus apertius docuit cum... dixit: Itaque iam non sunt duo, sed una caro ».

Nec vero tantum damnata voluit Christus Dominus quamlibet, sive successivam sive simultaneam, quae dicitur, polygamiae et polyandriae formam, exsternumve aliud quodvis in honestum opus, sed, ut sacra con-

nubii septa inviolata prorsus custodiantur, ipsas quoque de his omnibus cogitationes voluntarias atque desideria prohibuit. Quin et mutua inter ipsos coniuges familiaris consuetudo ut bonum fidei debito splendeat nitore, nota castitatis insigniri debet, ita ut coniuges ad Dei naturaeque legis normam sese in omnibus gerant, et sapientissimi sanctissime Creatoris voluntatem cum magna erga Dei opus reverentia semper sequi studeant.

Haec autem, quae a Sancto Augustino apertissime appellatur *castitatis fides*, et facilitior et multo etiam iucundior ac nobilior efflorescat ex altero capite praestantissimo: ex coniugali scilicet amore, qui omnia coniugalis vitae officia pervadit et quemdam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis; caritatem dicimus, non carnali tantum citiusque evanescente inclinatione innixam, neque in blandis solum verbis, sed etiam in intimo animi affectu positam atque, — siquidem probatio dilectionis exhibitio est operis, — opere externo comprobata. Hoc autem opus in domestica societate non modo mutuum auxilium complectitur, verum etiam ad hoc extendatur oportet, immo hoc in primis intendat, ut coniuges inter se iuventur ad interiorum hominem plenius in dies conformandum perficiendumque; ita ut per mutuam vitae consortiōem in virtutibus magis magisque in dies proficiant, et praecipue in vera erga Deum proximosque caritate crescant, in qua denique « universa Lex pendet et Prophetae ». Scilicet absolutissimum totius sanctitatis exemplar hominibus a Deo propositum quod est Christus Dominus, omnes cuiuscumque sunt condicionis et quamcumque honestam vitae rationem inierunt, possunt ac debent imitari atque, Deo adiuvante, ad summum quoque christianaē perfectionis fastigium, ut complurium Sanctorum exemplis comprobatur, pervenire.

Cum haec eadem caritate reliqua coniugii tam iura quam officia componantur necesse est; ita ut non solum iustitiae lex, sed etiam caritatis norma sit illud Apostoli: « Uxori vir

debitum reddat; similiter autem et uxor viro ».

Firmata denique huius caritatis vinculo domestica societate, floreat in ea necesse est ille, qui ab Augustino vocatur *ordo amoris*. Qui quidem ordo et viri primatum in uxorem et liberos, et uxor promptam nec invitam subiectionem obtenerationemque complectitur, quam commendat Apostolus his verbis: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae ».

Haec autem obteneratione non libertatem negat neque aufert, quae ad mulierem tam pro humanae personae praestantia quam pro nobilissimis uxoribus, matris sociae muneribus pleno iure pertinet; neque obsecundare eam iubet quibuslibet viri optatis, ipsi forte rationi vel uxor dignitati minus congruentibus; nec denique uxor aequiparandam docet personis, quae in iure minores dicuntur, quibus ob maturioris iudicij defectum vel rerum humanarum imperitiam liberum suorum iurium exercitium concedi non solet; sed vetat exaggeratam illam licentium, quae familiae bonum non curat, vetat in hoc familiae corpore cor separari a capite, cum maximo totius corporis detimento et proximo ruinae periculo. Si enim vir est caput, mulier est cor, et sicut ille principatum tenet regiminis, haec amoris principatum sibi ut proprium vindicare potest et debet.

Haec dein uxor viro suo obteneratione, ad gradum et modum quod attinet, varia esse potest pro variis personarum, locorum, temporum conditionibus; immo si vir officio suo defuerit, uxor est vices eius in dirigenda familia supplere. At ipsam familiae structuram eiusque legem praecipuam, a Deo constitutam et firmatam, evertere aut tangere numquam et nusquam licet.

Haec sunt igitur, quae bono fidei comprehendantur: unitas, castitas, caritas, honesta nobilisque oboedientia; quae, quot sunt nomina, tot sunt coniugum atque coniugii emolumenta, quibus pax, dignitas, felicitas

matrimonii in tuto collocentur atque promovantur. Quare mirum profecto non est, hanc fidem inter eximia et matrimonii propria bona semper fuisse numeratam atque habitam.

Attamen tantorum beneficiorum summa completetur et quasi cumulatur illo christiani coniugii bono, quod Augustini verbo nuncupavimus *sacramentum*, quo denotatur et vinculi indissolubilitas et contractus in efficax gratiae signum per Christum facta elatio atque consecratio.

Et primo quidem, indissolubilem foederis nuptialis firmitatem ipse Christus urget dicens: « Quod Deus coniunxit, homo non separat »; et: « Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram dicit, moechatur: et qui dimissam a viro dicit, moechatur ».

Atque haec inviolabilis firmitas, quamquam non eadem perfectissimā mensurā ad singula, ad omnia tamen vera coniugia pertinet: nam illud Domini: *Quod Deus coniunxit, homo non separat*, cum de protoparentum connubio, cuiusvis futuri coniugii prototypo, dictum sit, ad omnia prorsus vera matrimonia spectare necesse est. Quamquam igitur ante Christum illa primaevae legis sublimitas et severitas adeo temperata est, ut Moyses ipsius populi Dei civibus ad duritiam cordis eorum libellum repudii certis de causis dare permiserit; Christus tamen pro sua supremi legislatoris potestate hanc maioris licentiae permissionem revocavit et primaevam in integrum restituit legem per illa verba nunquam oblivioni danda: *Quod Deus coniunxit, homo non separat*.

Quod si exceptioni, etsi rarissimae, haec firmitas obnoxia videatur, ut in quibusdam coniugiis naturalibus solum inter infideles initis vel, si inter christifideles, ratis illis quidem sed nondum consummatis, ea exceptio non ex hominum voluntate pendet, neque potestatis cuiuslibet mere humanae, sed ex iure divino, cuius una custos atque interpres est Ecclesia Christi. Nulla tamen, neque ullam ob causam, facultas huiusmodi cadere unquam poterit in matrimonium christianum

ratum atque consummatum. In eo enim, quemadmodum maritale foedus plene perficitur, ita maxima quoque ex Dei voluntate firmitas atque indissolubilitas, nulla hominum auctoritate relaxanda, eluet.

Quod vero quantum ex matrimonii indissolubilitate fluant bona, eum fugere non potest qui vel obiter cogitet sive de coniugum proliisque bono sive de humanae societatis salute. Et primum quidem coniuges in hac firmitate certum habent perennitatis signaculum, quod generosa propriae personae traditio et intima suorum animorum consociatio suapte natura tantopere exigit, cum vera caritas finem nesciat. Firmum praeterea adstruitur fidae castitatis propugnaculum contra infidelitatis incitamenta, si qua interius exterrusve obiciantur; anxi timori num adversitatis aut senectutis tempore alter coniux sit recessurus, quivis paecluditur aditus eiusque loco quieta statuitur certitudo. Servandae item utriusque coniugis dignitati ac mutuo auxilio praestando quam aptissime providetur, cum per insolubile vinculum perpetuo perseverans coniuges continenter admoneantur se non cadi carum rerum causa, nec cupiditati ut inservient, sed ut altiora et perpetua bona sibi mutuo procurarent, nuptiale iniisse consortium, quod nisi morte solvi non queat. Liberorum quoque tuitioni et educationi, quae ad multos annos produci debet, optimè consultatur, cum gravia et diurna huius officii onera unitis viribus facilius a parentibus ferantur. Neque minora toti humanae consortiōi oriuntur bona. Usu enim cognitum habemus matrimoniorum inconcussam firmitatem uberrimum esse honestae vitae morumque integritatis fontem; hoc autem ordine servato, felicitas salusque rei publicae in tuto positae sunt: nam talis est civitas, quales sunt familiæ et homines, ex quibus ea constat, ut corpus ex membris. Quapropter, cum de privato coniugum et proli, tum de publico societatis humanae bono optime merentur, qui inviolabilem matrimonii firmitatem strenue defendunt.

Verum hoc sacramenti bono, praeter indissolubilem firmitatem, multo etiam celsiora emolumenta continentur, per ipsam *Sacramenti* vocem aptissime designata. Christianis hoc non inane et vacuum est nomen: cum enim sincero animo suum consensum praestant, aperient sibi sacramentalis gratiae thesaurum, ex quo supernaturales vires hauriant ad officia et munera sua fideliter, sancte, perseveranter ad mortem usque adimplenda.


Hoc enim Sacrementum, in iis qui obicem, ut aiunt, non opponunt, non solum permanens vitae supernaturalis principium, gratiam scilicet sanctificantem, auget, sed etiam peculiares addit dona, bonos animi motus, gratiae germina, naturae vires augendo ac perficiendo, ut coniuges non ratione tantum intelligere, sed intime sapere firmiterque tenere, efficaciter velle et opere perficere valeant quidquid ad statum coniugalem eiusque fines et officia pertinet; ius denique iis concedit ad actuale gratiae auxilium toties impetrandum, quotiescumque ad munera huius status adimplenda eo indigent.

Attamen, cum divinae providentiae in ordine supernaturali lex sit ut homines ex Sacramentis, quae post adeptum rationis usum recipiant, fructum plenum non colligant, nisi gratiae respondeant, gratia matrimonii magna ex parte talentum inutile, in agro reconditum, manebit, nisi coniuges supernaturales vires exerceant ac recepta gratiae semina colant atque evolvant. Si autem, faciendo quod in se est, ad gratiam se dociles praebeant, sui status onera ferre atque officia implere poterunt eruntque tanto Sacramento roborati et sanctificati et quasi consecrati. Nam, ut Sanctus Augustinus docet, sicut per Baptismum et Ordinem homo deputatur et iuvatur sive ad vitam christiano more degendam sive ad sacerdotale munus gerendum, eorumque sacramentali auxilio nunquam destituitur, eodem fere modo (quamquam non per characterem sacramentalem), fideles, qui semel matrimonii vinculo iuncti fuerint, eius sacramentali adiutorio ac ligamine privari nunquam pos-

sunt. Quin immo, ut addit idem Sanctus Doctor, vinculum illud sacrum, etiam adulteri facti, secum trahunt, quamquam non iam ad gratiae gloriam, sed ad noxam criminis, «sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacrementum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit».

Idem vero coniuges, aureo Sacramenti ligamine non constricti sed ornati, non impediti sed roborati omnibus viribus ad hoc nitantur, ut suum connubium non solum per Sacramenti vim et significationem, sed etiam per ipsorum mentem ac mores sit semper et maneat viva imago fecundissimae illius unionis Christi cum Ecclesia, quae est venerandum profecto perfectissimae caritatis mysterium.

(Ad proximum numerum).



## ANNALES

### Indorum motus.

Dum apud Anglos conventus Indorum principum, de quo in superiore eventuum recensione nostra verba fecimus, protrahitur, in Indis inquietae semper res; imo novi tumultus in Birmania facti sunt, quorum causam fuisse dictitant, prolata ab illo conventu sententiam de avulsione Birmaniae civitatis ex Indiarum reliquis, ut administrationi subiiceretur, illius simili, qua ceterae Anglorum coloniae «directo — uti nuncupant — domino» gubernantur. Vim vi repellere Anglorum copiae coactae sunt.

\*\*

### Italicae res.

Die xxxi mens. Decembbris «feriae navales», quae vulgo sunt appellatae, finem habuere; pactio nempe inter Italiam et Galliam de nulla ad tempus con-

struenda utrimque navi. Tempus hoc ea spe fuerat constitutum fore ut illa die conventione iam intercesserit de utriusque populi classi moderanda. Quum vero ad concordiam nondum deventum fuerit, plures autumant inducias illas in alios sex menses iri prorogatum.

Interim Italia si navalem classem comparare nequit, aëriam auget, quae triumphos sibi parat amplissimos. Die enim xvii superioris mensis quatuordecim «hydrovolantium» agmen, duce Balbo, aéronauticae rei administro, sublime ex patria, Romano quidem ausu, abiit Brasiliam petitorum, quam fere integrum assequitur. Intrepidis nautis gloria, tum qui metam tequere, tum quos invida mors in itinere rapuit!

\*\*

### Hispanici tumultus.

Si aéronaves ad novam fraternalitatis notam instituendam Italos impulere, Hispanos, contra, his diebus, odii ac discordiae instrumentum extiterunt. Rebellione enim orta in oppido Iaca, ad Pyrenaeos montes prope Galliae fines, illinc velivola missa sunt Madritum, ut ibi quoque populus ad seditionem excitaretur. Frustra tamen; namque exercitus, regi suo fidelis, ignem extinxit; et iis qui diffundere eum studuerant, ex machinis suis ipsis salutem quaerenda fuit. Extorres patria in Lusitaniam transmigrarunt.

\*\*

### Funera.

Vindobonae diem obiit supremum Vintila Bratianu, princeps eorum, qui libere sentientes de Rumenorum republica, post Caroli redditum et assumptionem in regnum, a civilibus negotiis sponte recessere.

POPLICOLA.

## VARIA

### IN ANNUM MCMXXXI

#### VOTA

*Pedem referre te bona volo alite  
domos meorum, ut assoles, sodalium,  
novus qui et idem ades vicemque diceris  
inire, Iane, ab integro orbis annuam;  
tibique sit comes latina carminis  
perenne Pieris decus ferens manu.  
Meos, precor, valere, Iane, amiculos  
iubeto, ab eius ore quicquid expetunt  
sibi suisque contigisse singulis,  
id ominere, quotquot ipse pectoris  
cano fidelis esse vota nuntios.*

*In his tamen si adire quem datur tibi  
potem latini Apollinis, quae ab Italis  
videtur excidisse palma, reddere,  
id et sibi artis impigne excolentem opus,  
queamus ut patrum decus resumere,  
bonum Camena, Iane, fac ita occupet:  
«Quid, oro, vindicare sumis Italos?  
Satis superque nos in orbe principes  
dat esse, cui caro ipsa nomen indidit!  
Quid ergo prosit ante stare ceteris  
honore nos vel ingeni vel artium?  
vel obsoleta — nil fit unde ineptius! —  
Latinitatis exarare carmina?*

*Omittat haec, sinatque Teutonos sequi,  
nihilque se moretur hoc in aequore  
ab exteris ita opprimi Italum decus:  
ei sat est locum tenere principem,  
ubi aemulantis os latusque fregerit!  
Opus quid, ergo, suscipis tibi irritum?  
Locutus haec, abito, Iane, sed tuis  
cave nocere ne queat, rogo, auribus  
ineptus ille clamor, unde tollitur  
toro sibi aemulum vel opprimens pede:  
at aure pressa iter teneto digitis...*

Ips. kal. Ian. MCMXXXI.

ALAFRIDUS BARTOLI.



**Sclopeti** usus apud Venetos  
invectus.<sup>1</sup>

Invaluerat iam in bellis consuetudo, invento Germanorum nobis tradita, ut milites fistulis ferreis uterentur. Quibus fistulis glandes plumbeas magna vi ignis impetu mitterent, atque hostem longinquò vulnerarent. Eae erant fistulae ad formam atque imaginem eorum tormentorum, quibus muri oppidorum deiiciuntur, nisi quod illa ex aere fusili fiunt, maximique saepe sunt ponderis, ut carris solidissimis ferratisque ac magno iumentorum numero egeant, quibus sustineri atque regi possint. Fistulae e ferro sunt, gestanturque ab militibus singulæ ligneis alligatae armamentis, per quae capiuntur, et pulvere ad ignem celeriter comprehendendum idoneo infarciuntur, et glande immissa humeris sublatae in hostem convertuntur. Eo telo qui uti scirent, ut reipublicae suppeterent, peritissimos eius rei homines undique conquisitos accersitosque, Decemviri suas ad urbes miserunt, qui iuuentutem instiuerent; atque ut agrestes maxime homines id armorum genus docerentur, singulis in vicis pagisque uti duo puberes ei artificio assuefierent, edixerunt, atque iis omnium onerum immunitatem concesserunt, quo studiosiores et diligentiores unum ad id munus obeundum reliquis liberati oneribus ac tributis fierent; eosque puberes die dicta ad suum quoque oppidum quotannis signo glande feriendo convenire voluerunt; qui vicisset, eius toti pago aut castello vacationem esse munerum annuam, eo excepto munere, quod ad Medoaci fluminis derivationem tenebantur, imperaverunt.

<sup>1</sup> EX PETRI BEMBI, *Historia Veneta*, lib. I.

Pro iudicibus mensarum elegan-  
tibus.

ESCARUM ORDO:

Sorbitio ex fungis venatoria.  
Agninue costulae lycopersico conditae.  
Piscium ovorumque artocreas.  
Splenis frusta inter crusta assa. —

Acelaria.

Scriblitiae molles cum spuma lactis.

locosa.

Condiscipulus Tuccio:  
— Sed curnam «Mare mortuum» mor-  
tuum appellatur?  
Tuccius: — Quia... vere mortuum est.  
— At quoniam morbo?  
— Papae, ex iactatione maritima!

Condiscipulus Tuccio:  
— Heu, misero mihi ventrale praeci-  
sum est!

Tuccius — Et tu postica parte illud  
versa!

Aenigmata

I.

Iam telum dixere meo de nomine Persae,  
Etrusci pelago me posuere ratem;  
Nec timui quandam Cadmi laniare nepotem  
Illi cum cervi contulit ora Dea.  
Me nunc in silvis gaudentem caedibus horret  
Indus, dum praeceps usque per arva fluo.

II.

Si legis a laeva, nomen praebebitur urbis;  
Si a dextra, accipies qnod mea corda fovent.

Aenigmata in fasciculo mens. Decem-  
bris MCMXXX proposita his respondent:  
1) Re-do; 2) Stuccus.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreoren.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

9 MAR. 41